



kat.komp.  
 21695  
 III Mag. St. Dr. P

*Iustus*

*Thomas Francisci Tuba vocalis*

*perennatusi nominis.*

PANEG. et VITAE  
 Polon. Fol.  
 №. 1241.

T

L

S  
Sa

C

in

P



Ex C

# TVBA VOCALIS

Perennaturi Nominis.

*Religiosissimi olim & Admodum Reuerendi Patris,*

F. M. I V S T I  
S Ł O W I K O W S K I,

Sacrae Theologiae Doctoris, Conuen-  
tūs Cracouiensis

SS. TRINITATIS,

Ordinis Prædicatorum, Actualis Prioris, ac Vicarij  
Contratae eiusdem.

*D V M E I*

in eadem Basilica SS. TRINITATIS,

Iusta Funebria  
perfoluerentur.



*A*

M. THOMA FRANCISCO  
O R M I N S K I,

in Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiae Docto-  
re & Professore.

Iugubri calamo,

Amplissimo dolentium Senaculo

# PRÆSENTATA.

*Anno Salutis 1689.*

*Die 27. Mensis Ianuarij.*

21.695 III



C R A C O V I Æ,

Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. Dñi Episcopi Crac: Ducis Seueris  
Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

2. XII. 9.

# TVBA VOCALIS

Perennaturi Nominis.

**G**Enitrix annorum gloria,  
et si volucris famæ pennâ,  
animorum excellentiam per Orbis angulos latè diffundit,  
*nunquam tamen laudabilius gestit,*  
*quàm dùm laudabilibus gestis, nomen concentricum gestat.*

Sic nempè ocyor ventis,  
vltura columnas Herculis eluctatur,  
& vbi vix animis concessum attingere,  
ibi hæc monarchiam suam extendit.

Non sic magni Hectoris comes Missenus,  
*ere ciere viros Martemq; accendere cantu nouerat,*  
*cerulea regna, non tam citò canorum audiunt Tritona,*  
vt excelsi nominis maiestas  
sublimiorum mentium medullas, rapit in sui amplexus.

Non hîc buccino Melpomenes locus,  
*vt ad eius harmoniam, magno nomini,*  
*gentis Romuleæ more, secula assurgant;*  
si tamen admitti potest,  
quos non mulcebit mundi cardines?  
*nî fortè acrius quid resonans*  
*tangat simul & angat secreta cordis.*

Cuius argumentum,  
clangor an plangor hodiernæ Tubæ,  
cum florentissimæ Religionis ornamentum,  
*Religiosissimus olim & Admodùm Reuerendus Pater, Frater,*  
**M. IVSTVS SŁOWIKOWSKI**  
**S. Th: Dòctor, Conuentûs Crac: SS. TRINITATIS,**  
Ordinis Prædicatorum, actualis dignissimusq; Prior,  
sublatus de hoc breuis habitaculi septo  
dolentibus omnium oculis ingeritur.

Excepit nascentis cunas Tuba Gentilitia, sed non ad terrorem,  
*nisi certè Cruce munita torreat & terreat Crucis hostes.*

Prælusere illi Archipresbyterales Infulæ,  
præiuere magna suæ Domus lumina,  
vt nobilibus maiorum intentus ceris  
paria his vel maiora conciperet, cum sciret

*turpe cedere pari, pulchrum superasse maiores.*

Tenerior illius indoles,

vt primùm Sacris initiatur Apollinis,

in herba statim fructum indicat,

*cùm ante sapere, ac omnes sperare possent, incipit.*

Nimirum simul Neoptolemus & veteranus

æquè parere cælo, ac imperare mundo doctus.

*Neg̃ aliud Tuba sua Crucis insigni decora suasisit,*

*quam sub Crucis trophæo querere stipendia.*

Florentissima celeberrimi Ordinis Prædicatorum militia

cordis fibras vrit an vrget tyronis

ceu delicatissima tyrannis incertum.

*Adscribitur eiusdem labaro, balteoq̃ Sacræ vestis præcingitur,*

*Et modò primùm leuioris armature miles, mox cataphractus,*

nullam luctam sine lucro

cum rugiente leone Alcides alter admissurus.

Sed Orbis vrbium caput Roma

præcelsâ virtutum stipatum coronâ

aduenam salutat religiosum.

Celebrent alij Angeronalia

I V S T O sine his felix vbiq̃; successus,

*liber aditus ad Mineruam quia Mineræ alumno.*

Decurrit bonis auib; stadium Theologicum, &

*quem alijs vix olympias sufficeret, illi trieceris suffecit profectum.*

Stupuerè peregrinam Suadam Romana rostra,

cum in illis hoc Tullio

DOCTOR ANGELICVS, Parens Theologiæ audiret.

Peruolabat singulorum animos illibatus illius pectoris candor,

qui quantum omnibus placuerit

vel è folius Leonardi Hansen Prouincialis Angliæ

sibi dato elogio conijciamus:

*Ecce verus Israelita in quo dolus non est.*

Ita in Domo Sapientiæ Lectorem ordinatum

Craciæ reuocant cathedræ,

*ne lucernam eruditionis poneret sub modio cunctationis,*

*quæ lucere super candelabro exedrærum quantociùs digna esset.*

Legit ergo collegitq̃; apis Matinæ modo,

Quæstionum selectissimarum flosculos,

*tantò Discipulorum frequentia nobilior,*

*quantò in enodandis difficultatibus clarior,*

vel ideò triennium sufficere ratus,  
quia honori SS. TRIADIS vestigale.  
vidit Sacra Sancti Patriarchæ DOMINICI Familia  
familiares eius laborem & Constantiam,  
iuste proinde Magistrum Studentium ordinauit,  
cuius illi vestigia amplecterentur.

*Pertinebat tantæ probitatis viro maiora credere.*

Assumitur in Secretarium Prouinciæ,  
quiq; posterior cunctis haberi voluit  
eligi Prior Elbingensis meruit.

Sed demùm studij Crac: Pallas, Baccalaureum Theol: nominat,  
cuiusq; præsentia diutius frui voluit,  
ad biennium agrè detinuit:

Auocarunt enim illum Baltici maris littora,  
vt sic transparenti Succino, pretiosus accederet vnio,  
Prior Gedanensis Conuentûs.

*Etiam hæc non sine numine Diuûm;*  
ibi quippè in Sacris cathedris contra Hæreses nouus Pericles,  
felicior fabulosâ Turni tubâ constitit,  
*cum non solum attonitas redderet, sed etiam adificaret.*

Neq; hic, plus vltra valet.

vocatur ad regimen Cracouiensis Conuentûs,  
vbi Prior & Pater omnium Lauru Theologicâ decoratur.

Iam ergò posuit laboribus metam? minimè

Loquuntur Quadragesimales cathedræ,  
quibus ita feliciter, oris sui gratiâ proficiebat,  
vt ad compassionem Seruatoris noltri lacrymas eliceret;

*Bonus Christi agricola, cum inter Hungaricæ Hæreseos senticeta,  
Rosarium, an Rosetum plantauerit.*

Prior deniq; Cracouiensis iam secundò electus,  
Ecclesiam picturis & imaginibus adornat.

Et cum sui muneris occupat medium,

à morte inflata illius Gentilitia Tuba,

lugubrem spargit sonum, quia

*Religionis decus, amicorum corculum, Religiosorum norma decessit,*

*vel ideò 25. Ianuarij, qui numerus radicem quadratam designat*

*vt constet; sicut sapientiam, ita sapientem in quadro positum,*

*ne fatorum quidem incurso commoueri,*

*ideò in die Conuersionis S. Pauli,*

*vt cum eodem non iam ad tertium celum,*

*sed ad felicem illam Beatorum sedem tolleretur.*

Ergo iam stante lacrymæ,

*demùm enim orditur vitam æternam, qui moritur,*

viuit non solum Cælo, sed animis quoq; viuit omnium,

Cuius perennaturi nominis memoriam, sonabit semper

T V B A V O C A L I S.



*7. XII. 26*



Biblioteka Jagiellońska



stdr0013549

